



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

49. Leander crucem Indulgentijs V. SS. prædiam penitus quidem confregit;  
quia tame[n] mox reintegrari curavit, retinet ea indulgentias.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**



tiuum erubescentiæ? nequaquam; sicut enim prior dolor, ita prius motuum huius doloris sufficit, cum hoc in illo inuoluatur. An quia sic vna etiam Confessio sufficere potest duabus absolutionibus? minimè; quia absolutio noua tanquam sententia judicialis stare non potest absque accusatione noua: at bene absque dolore nouo. Vnde dixi, *per se loquendo*, vnâ materiam subesse posse diuersis formis, vt innuerem, hoc in Confessione respectu absolutionis sacramentalis ex peculiari ratione repugnare ob actum iudiciale, qui, si nouus sit, & accusationem & sententiam nouam habeat oportet, quod secus se habet in dolore. Confirmatur hæc Responso ex praxi Ecclesiæ & Confessorum, cum vix vllus sit, qui pœnitentem in tali iterata confessione de nouo dolore admoneat. Ergo signum est, priorem sufficere. *Atque ex his constat etiam ad rationes in oppositum allatas.*

XLIX. *Leander crucem Indulgentiæ V. Sanctorum præditam è collo suspendit, ne scilicet facile sic eam perderet, cum ex restrictione Indulgentiarum per Papam Alexandrum VII. facta intellexerit, loco vnius talis rei perditæ deinceps aliam pro iisdem Indulgentiis restitui non posse. Verùm non multis post diebus nescio quo casu crucem illam penitus confregit; ne igitur simul Indulgentiarum faceret iacturam, mox apud aurifabrum redintegari*



*eam curavit. Quæritur. Vtrum crux illa ita redintegrata priores Indulgentias retineat?*

Videtur non retinere. Ratio est, quia species crucis, ut ponimus, prorsus perijt. Ergo & Indulgentia, si quidem hæc non soli metallo, sed formâ crucis insignito fuit concessa.

Resp. Crucem prædicto modo redintegratam retinere priores Indulgentias. Ita P. Gobat de Indulg. num. 320. Ratio est, quia adhuc moraliter censetur planè eadem crux & perinde iam se habet, ac si nunquam fuisset fracta. Confirmatur. Ecclesia penitus diruta mox tamen in eodem situ reædificata retinet priorem Indulgentiam, cum moraliter eadem censeatur, ut cum pluribus Authoribus docet Dian. part. 11. Tr. 8. Res. 9. cur ergo etiam crux denuo resecta priores Indulgentias non conferret? Dubitat de Ecclesia & consequenter de cruce resecta Cardin. de Lugo tom. de peccat. D. 27. n. 131. sic arguens: templum penitus destructum, esto in eodem situ fuerit reædificatum, perdidit tamen consecrationem. Ergo & Indulgentiam. Sed negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia consecratio ob peculiare physicas actiones, quibus confertur, idem etiam physicè templum ad sui consecrationem requirit; quod secus se habet in collatione Indulgentiarum; unde ab illa nulla ad has est argumentatio. Arg. sic patet etiam ad rationem in contrarium.

L. Lem-